



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

* MCCXX
XIX.

*Ingens in-
cendium
Erfordiae.*

orienta

XXI.

*Moguntinus
Henricum
Landgravi-
um Cesare
eligit.*

* MCCXL
IV.

Comitatus Sedi apertus est. * Eleganti
(a) ista , & stupendæ molis concha , qua
ad monasterii Petrensis ambitum in pecu-
liari lavacro visitur , curâ Abbatis eodem
in loco excavata , deinde ædificium su-
perstructum est. Successit istis friguscu-
lis ingens † clades , quâ gravior huic Ur-
bi per ignis violentiam non acciderat. (b)
initium ortum in pistrinâ prope monaste-
rium Canonissarum S. Augustini. Vali-
dior flamma à vehementi vento in occi-
dentem cogeatur , ubi continuâ strage
obvia quævis depasta est , ipsa templa eo-
rumque muri huic impetui se subjecerunt.
Nec desit ignis , donèc carens alimento
campus occurreret. Jacuerunt in cineri-
bus præter dictum monasterium fanum S.
Wigberti , S. Bartholomæi , Cœnobium
Franciscanorum , Albarum Dominarum
omnia prætereà usque ad portam Krem-
pferianam , per quam à loco nati incendii
quasi per continuam plateam , vel potius
per campum prospiciebatur.

Tanta fuit Moguntia cum † Landgraviis
sinceritas , ut non dubitaret Sigefridus
contra Fridericum Cæsarem , (c) post-
quam tertio excommunicatus esset , Hen-
ricum Landgravium eligere , * id quod
consentiente Trevirensi , Coloniensi , &
Herbipolensi factum est , sed cum ille Sue-
vos

(a)MS.Chron.Petrense.
(b)MS.Chron.Erfurtensia.
(c)Baronius,& alii universales Historici.

vos
tâle
festi
set
tinc
da
cula
foer
mu
ri c
Bra
S.F
nep
fri
for
or
&
do
cio
im
ve
H
Qu
(c)
rig
Ev
(u
pl
gl
V
vos
(a)
(b)
(c)

vos Ulmā tenentes obsideret, (a) atque sagittā lethaliter vulneraretur, * in eo (nisi quod fessus annis Conradus in Borussia superesset) mascula † Landgraviorum stirps extincta est. Aperta igitur frequentia feuda, quæ Ludovicis, & posteritati masculæ Moguntia concesserat. Aderant ex foemina Landgraviorum stirpe duo æmuli, qui utramque provinciam sibi debere contendebant; † scilicet Henricus de Brabantia duorum annorum adhuc infans, S. Elisabethæ, & Ludovici ex Filiâ Sophiâ nepos. Alter Henricus de Misnia dictus illustris ultimi Landgravii Henrici nepos ex sorore. erat igitur iste lineâ, hic gradu potior, cumque res Imperii desolatæ essent, & sine justitiâ resp. Moguntia * mox Sigefredo, (b) cum vix antea vacantium beneficiorum census ærario per quinquennium impetrasset, viduata, segnius sua urfit, vel neglexit potius, & spectare maluit Henricorum bella, quam se immiscere. Quippe Christianus Secundus successit, (c) † doctus quidem & pius, sed qui nimis rigidâ pietate bellum horruit, illudque Evangelistæ: mitte gladium in vaginam (ut de se ipso scribit) antecessorum exempla opponentibus occinuit: Episcopo gladium spiritûs non sæculi convenire. Verum pessimè hoc sedi, & ipsi Christiano cessit.

D 4

cessit.

* MCCXL
VIII.*Landgraviorum Thuringiæ familia extincta.**Duo æmulæ qui Thuringiam, & Hassiâ præ-tenderunt.** MCCXL
IX.*Christianus II. Mogunt. Choroquanz Regimini aptior.*

(a) Chronica Thuring. hoc anno.

(b) MS. chron. Petrensis.

(c) Serarius in eius vita.

cessit. Illi pulcherrima occasio multa Thu-
ringiæ sibi aperta vindicandi elapsa, Hic
choro, quam regimini aptior iudicatus;
ac ne Archiepiscopatus ulterius rueret,
Capitulum ad Pontificem pericula detulit.
Esse Christianum, quod mores, doctri-
nam, & pietatem attinet, Archiepisco-
patu dignissimum, sed illam horum tem-
porum violentiæ non sufficere; nec enim
se Præsule tantum: sed & Principe egere,
qui ferro secet, quod cedere pedo renuit.
In occidente periclitari Wilhelmum Re-
gem, alibi Moguntinæ Sedis bona, in
præmium victoriæ peregrinis exponi, ad
hæc omnia Christianum quiescere. Pon-
tifex temporum gnarus Christianum ad
chorum remitti, alium regimini suffici-
mandat. Christianus in vigiliâ nativita-
tis Domini erfordiam venerat, obedi-
tiam juratâ fide sibi stipulaturus. Statim
miraculum † sacri fontis evenit, (a) Fures
sacram pixidem è templo pridie assump-
tæ Virginis abstulerant; vilem materiam,
(argentum fuit,) in prædam servarant, re-
conditum intus thesaurum, sacras hosti-
as, in puteum abjecerant. Quinto post
mense Sacrilegorum alter acri morbo ad
pœnitentiam à Numine vocatur, Isenaci
decumbens Sacerdoti negotium explicat.
Hic fide plenus erfurtum contendit, lacu-
nam,

*Miraculum
S. Fontis Er-
fordiæ.*

(a) edita Historia hæc Typis Anno 1510. *Habeturque
in coætaneis monumentis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Vir-
ginis.*

nam ubi S. hostiæ jacuissent, examinaturus.
 erat decimus tertius dies Januarii, * & a * M C C L.
 quæ omnes frigore congelatæ erant, hic
 autem fons Creatoris sui reverentiâ liqui-
 dus incorruptas hostias per limpidam un-
 dam ostendebat. Nunciatur Christiano
 miraculum, ille convocato populo, &
 omni Clero stipatus sanctissimas hostias e-
 levat. Testis hujus rei tota Urbs, in cu-
 jus memoriam templum ad fontem ere-
 ctum, atque solennis festivitas in omnes
 annos indicta est. par signum de † myste- *Miraculum*
 rio (a) Eucharistiæ sub Conrado superioris *S. sanguinis.*
 sæculi anno nonagesimo primo in villa
 Bechstet Numen dedit, sed hæc Historia
 sacra persequitur. Idem Christianus (b)
 factâ ad S. petrum visitatione Henricum
 Abbatem suscepto alio, munere exiit

* Deposito Christiano † eligitur, qui *XXII.*
 per ætatem difficultatibus par esse posset * M C C L.
 (c) Juvenis Eberhardus, patre Conrado *Christianus*
 Sylvestri Comite natus, Regi Wilhelmo *deponitur,*
 studiosissimus, is ut prædecessoris negli- *& sufficitur*
 gentiam vigilantiam suâ notaret, vicesi- *Eberhard.*
 mam

(a) Serarius in hoc Conrado.

(b) MS. chron. petrense hoc anno.

(c) Serarius in vita hujus ArchiEpiscopi, ubi quidem Erhar-
 dum vocat, sed antiquissimus nummus argenteus ab eo cusus
 (quem habeo) in disjecta mœnium parte ut infra ad Annum
 MDCXXXV. dicemus, inter alios inventus, Eberhardi
 nomen refert. Ejus imaginem addo.